



GAsparus Tiguri apud Helueticos natus, & a pueris in literis optimè institutus est. Cum is artium & linguarū studia mediocriter percepisset, Huldrico Zuuinglio præceptore usus Theologiæ operā dedit, atq; sacrarū literarū lectionē sibi familiarem reddidit. Accedebat & naturalis faciūdia, & multarum rerum experientia. Id cum respub. Bernensis intellexisset, eum ad se uocauit atq; in sua urbe Ecclesiasten constituit, quam quidem uocationem is suscepit, et dextrè expediuit. Scripsit is commentaria in Epist. Pauli ad Galatas, atq; Tiguri 1533 edidit. Item in Epistolā ad Ephesios, atq; in utrāq; ad Timotheum, & ad Titum. Collegit etiam farraginem annotationum in Genesim & Exodum, ex ore Zuuinglij. pari ratione in epistolam ad Hæbræos, & priorem Ioannis Canonicam, cum annotationibus in Euangelia & in aliquot Pauli Epistolas, quæ quidem omnia Tiguri publicauit. Tandem etiam Gasparus in Acta Apostolorum commentaria cōposuit, & in gratiam iuuentutis Bernensis Catechismum collegit. Cum hoc modo suis uigilijs omnibus innotuisset, tādē immatura morte apud suos obiit, & honestè terræ mandatus fuit, Con. Gest. in Bib.